A D
REVERENDISSIMUM PATREM
D. BEDAM
ABBATEM WESSOFONTANUM
ET CONGREGATIONIS BENEDICTINO-BAVARICÆ
PRÆSIDEM GENERALEM
EPISTOLA ALTERA.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO PATRI

D. BEDÆ ABBATI WESSOFONTANO

ET CONGREGATIONIS BENEDICTINO-BAVARICÆ
PRÆSIDI GENERALI

A. M. CARD. QUIRINUS
S. R. E. Bibliothecarius, & Epiſc. Brixien.

QUæ in terris conjunctiſſimæ vixit, haud minus Monaſtici magiſterii inſtituto, & morum ſanctimonia, quam ſanguinis origine, S. BENEDICTO Monachorum Patriarchæ, SCHOLASTICA Sacrarum Virginum Parens, quæque communem jamdiu habet Caſini cum Fratre tumulum, adit modo tuum, R̃me Pater, Cœnobium, ut ibi pariter ambo una ſimul copulentur. Novum ob iſtud ſuavis ſocietatis vinculum inter ipſos conciliatæ per binas argenteas Effigies Brixia iſthuc advectas, geſtient profecto Weſſofontanorum fontium lymphæ, cohors omnis Monachorum iſtorum, quin Bavaria univerſa, quippe quæ ſacra ea Lipſana, quibus Effigies illæ exornantur, ſe in præſens gloriari valeant poſſidere, cujuſmodi theſauro non alia Germaniæ regio potiatur. Dum ita loquor, intelligis abſque dubio immotam ani-

Digitized by Google

mo meo ſedere ſententiam, quam literis ante aliquot menſes Tibi datis declaravi, Benedicti nempe, & Scholasticæ Corpora nullo unquam tempore e Caſinenſi Cœnobio amota fuiſſe, ac proinde fabulis eſſe accenſendam eorundem a mille & amplius annis in Gallias Translationem. Quo autem plenius de theſauri illius, recens meo miniſterio ad vos delati, poſſeſſione veſtrum ſit gaudium, argumento in ſuperioribus literis illis tractato aliquantulum in hiſce quoque immorabor. Certior ſiquidem jam factus, levis tantum defenſionis genus Galliæ Monachos Hiſtoricæ meæ Demonſtrationi de perenni eorundem Corporum Caſini quiete opponere poſſe, in promptu habeo, quæ Demonſtrationem illam magis magiſque ſuffulciant.

Martinus Bouquet inter Monachos Gallicæ Congregationis S. Mauri eruditionis laude inſigniter florens, ac de Rep. Literaria optime meritus, præſertim ex novem Voluminibus Hiſtoricorum Franciæ in lucem jam editis, rogatus a me, ut ſuum, ſuorumque Sodalium animum de literis Demonſtrationem illam complectentibus aperiret, haud minus libere, quam humane votis meis ſatisfecit. Repoſuit itaque: Quæcumque ipſe attuliſſem non contemnendam quidem ingerere difficultatem, nullo tamen pacto fieri poſſe, ut iidem Sodales ſibi perſuadeant Chroniſtæ Lenenſis authoritatem pluris faciendam eſſe, quam Hiſtoriam Pauli Diaconi, quamque Joannis VIII. Pontif. Max. Bullam a ſeipſo in nono Volumine ſuæ illius Collectionis recitatam.

Quo-

Quoniam igitur argumentum ex Pauli Diaconi narratione deſumptum, quod ineluctabile Mabillonius exiſtimavit, hac quoque ætate Floriacenſes Monachi, eorumque Sodales, atque Patroni urgent quam maxime adverſus Caſinenſes, narrationem illam diligentius in hiſce literis expendam, quam fecerim in ſuperioribus. Ea ita ſe habet: *Circa hæc tempora cum in Caſtro Caſini, ubi Beatiſſimi Benedicti ſacrum Corpus requieſcebat, ab aliquantis jam elapſis annis vaſta ſolitudo exiſteret, venientes de Cenomanicorum, & Aurelianenſium regione Franci, dum apud venerabile corpus ſe pernoctare ſimulaſſent, ejuſdem Venerabilis Patris, pariterque ejus germanæ Venerandæ Scholaſticæ oſſa auferentes, in ſuam Patriam deportarunt; ubi ſigillatim duo Monaſteria in utrorumque honore, hoc eſt Beati Benedicti, & Sanctæ Scholaſticæ conſtructa ſunt*. Narratam hoc modo a Paulo ſacri tumuli expilationem ex ejuſdem verbis, quæ mox ſequuntur, unice referri ad vulgi rumorem de ea expilatione diſſeminatum contendunt Caſinenſes. Hæc enim ſubjungit ſtatim idem Paulus: *Sed certum eſt Os illud venerabile, & omni nectare ſuavius, & oculos ſemper cœleſtia contuentes, cætera quoque membra, quamvis defluxa in cineres remanſiſſe*. Operam autem perdunt Mabillonius, ſuique, dum verba iſta interpretantur de ſolis Cineribus, quos in eo tumulo Floriacenſes reliquerint, ſeu ex ipſorum negligentia, ſeu ex pietate quadam erga Caſinenſes. Namque, præterquam quod *Os & oculi* calvariam indicant

Digitized by Google

cant, non vero Cineres, hac Paulus uſus eſt voce non ad indicandam Oſſium per Floriacenſes ſubductionem, ſed unice ex cauſa, quam mox ſubdit: *Solum etenim ſingulariter Dominicum corpus non vidit corruptionem. Cæterum omnium Sanctorum corpora in æternam poſtea gloriam reparanda corruptioni ſubjecta ſunt, his exemptis, quæ ob divina miracula ſine labe ſervantur*. Patet itaque vel ſola expenſa Pauli narratione, quam ceu Achillem ſuum jactavit Mabillonius, eam multo clarius favere Caſinenſium cauſæ, quam Floriacenſium; ac proinde ſummo jure affirmari poſſe, Paulum Hiſtoriæ ſuæ, quam, ut veroſimilius creditur, dum in Galliis verſaretur Monaſtico cucullo nondum indutus conſcripſit, furti illius, de quo agitur, mentionem injeciſſe ex ſolo rumore, quem in iis partibus inaudierat; Caſini vero Monachum effectum, recognita ibidem eadem Hiſtoria, reique veritate comperta fabulam illam exploſiſſe.

Quid vero? ſi in pluribus priſcis Hiſtoriæ illius Codicibus, ac præſertim Ambroſianæ Bibliothecæ, loco vocis *requieſcebat* legatur *requieſcit*? Quid? ſi in aliis, quorum unus Forojulienſis mihi recens innotuit, vox *Cineres* minime compareat? Retractationi, quam dixi, majorem adhuc fidem conciliant miracula, quæ Caſini *ad Corpus S. Benedicti* contigiſſe, quinquies, vel ſexies memorat Paulus, præcipue in Homiliis, ne ſemel quidem *Cinerum* vocem uſurpans. Præterea in ea ipſa Hiſtoria ſua Paulus Petronacis Monachi Brixiani Romam, & Caſinum adventum ita de-

deſcribit: *Circa hæc tempora Petronax civis Brixianæ urbis divino amore compunctus Romam venit, hortatuque tunc Gregorii Apoſtolicæ Sedis Papæ, huc Caſinum Caſtrum petiit, adque ſacrum corpus Beati Benedicti Patris perveniens, ibi cum aliquibus ſimplicibus Viris jam ante reſidentibus habitare cœpit; qui eundem Venerabilem Virum Petronacem ſibi ſeniorem ſtatuerunt. Hic non poſt multum tempus cooperante divina Miſericordia, & ſuffragantibus meritis Beati Benedicti Patris, jamque evolutis fere centum & decem annis, ex quo locus ille habitatione hominum deſtitutus erat, multorum ibi Monachorum, Nobilium, & mediocrium ad ſe concurrentium Pater effectus ſub ſanctæ Regulæ jugo, & Beati Benedicti inſtitutione reparatis habitaculis, vivere cœpit, atque hoc ſanctum Cœnobium in ſtatum quo nunc cernitur erexit. Huic venerabili Viro Petronaci in ſequenti tempore Sacerdotum præcipuus, & Domino dilectus Pontifex Zacharias plura adjutoria contulit; Libros ſcilicet Sanctæ Scripturæ, & alia quæque, quæ ad utilitatem Monaſterii pertinent, inſuper & Regulam, quam Beatus Pater Benedictus ſuis ſanctis manibus conſcripſit, paterna pietate conceſſit.* Quis ergo negaverit, Paulo ipſo authore, in Caſinenſi tumulo etiam poſt devaſtationem Monaſterii per Langobardos ſervata perpetuo fuiſſe, & a Caſinenſibus culta Sanctorum Benedicti, atque Scholaſticæ Corpora? Atque huc magnopere facit, quod nullo pacto perſuadere ſibi quis juſte valeat, Caſinenſes poſt devaſtationem illam ſollicitos quidem fuiſ-

ſe

ſe de libris, aliiſque Romam aſportandis, Pignora autem illa oſcitanter, imo nefariam novæ direptioni, expoſita deſeruiſſe. Addam denique, Bollandianis Patribus Angelum a Nuce Abbatem primo Caſinenſem, deinde Archiepiſcopum Roſſanenſem, fidem feciſſe, ſe in Caſinenſi tumulo ea Corpora ſuiſmet oculis inſpexiſſe, eundemque Nuceum in Differt. I. nominatim affirmare, ſe vidiſſe *Cranii partes craſſiores, os, quod vocamus ſacrum, præter oſſa minutiora innumera, cincreſque copioſos in eadem capſula incluſos*.

Invictis hujuſcemodi præſidiis jamdiu cauſam ſuam tuentur Caſinenſes adverſus objectum ſibi Pauli teſtimonium, eaque invicto prorſus labore & opere deduxit Petrus Maria Juſtinianus, Epiſcopus Abentimilienſis, in Apologia, quam ſexto Annal. Benedictin. Tomo ſubjunxit eorundem Editor Lucenſis an. 1745. At quoniam bellum nobis eſt cum Monachis Gallis utique doctiſſimis,

invictiſque Viris quos nulla fatigant
Prælia, nec victi poſſunt abſiſtere ferro,

hinc communi eruditorum hominum judicio anceps adhuc ex eodem Paulo manebat hodie quoque victoria, nec deerant qui cenſerent, vix fieri poſſe, quod ullo in poſterum tempore eadem certo vel uni, vel alteri pugnantium parti foret adjudicanda. Bona tamen ſors effecit, ut, me Brixiæ Antiſtite, ac Cœnobii Lenenſis in Brixiano Agro ſiti Abbate, ut vocamus, fiduciario, ea ex utroque loco argumenta in publicum prodirent, unde eo-

rum-

rundem Eruditorum conſenſu audacter pronunciari valeat, *Debellatum eſt*. Chroniſta Lenenſis Abbatiæ ex venerandæ antiquitatis Codice in lucem eductus a Muratorio Tom. IV. Antiq. Ital. Med. Ævi an. 1741. hæc habet: *Non longe poſt introitum Regni* (Deſiderii) *& incboationem bujus Cœnobii* (Lenenſis) *Domino cooperante, & prænominato excellentiſſimo Rege translatum eſt a Civitate Beneventum de Caſino quædam Corporis partem Beatiſſimi atque excellentiſſimi Confeſſoris Benedicti Abbatis, & ab Urbe Roma Corpora Beatorum Martyrum Vitalis, & Martialis, & in eodem ſacroſanctum conditum eſt Cœnobio. Præfuit autem ipſo tempore in ipſo Cœnobio, boc eſt Leone, Ermoald Abbas, quod ipſe præfatus Rex ex Beneventum Monaſterio ſecum adduxit, ſeu alii* XI. *ex quibus unum nomine Lampertum Papa conſtituit, Domino auxiliante, uſque ad perfectum ductum eſt*. Huic teſtimonio, quo palam fit Caſini permanſiſſe S. Benedicti Corpus etiam poſt ſæculum & amplius elapſum a Caſinenſis Cœnobii excidio, & octoginta circiter annis poſt adeo jactatam a Gallis Translationem, affatim adſtipulatur Brixia, ſervans una cum pretioſiſſimis Lipſanis Sanctiſſimarum Crucum *Campi & Auri-flammæ* ſuo in Sacrario Brachium S. Benedicti, theca argentea, gemmis diſtincta, & opere Langobardico confecta; adſtipulatur pariter Lenenſis Eccleſia, in qua Martyrum Vitalis & Martialis, Sanctæ Felicitatis filiorum, ſervantur Corpora ex indubiis Monumentis, ut ipſi quoque Bollandiani Patres teſtantur. Dum Brachium

autem illud S. Benedicti omnium oculis nunc, ut olim, exhibet Brixia, quis dubitet, eam Corporis partem, quam Chroniſta generica voce deſignavit, eſſe ipſum Brachium? nam ſi aliam partem, aut Cineres tantum dono miſiſſent Caſinenſes, in iis quoque ſervandis, colendiſque, & modo oſtentandis certe non defuiſſet, nec deeſſet Brixiana pietas. Cur vero Brachium potius, quam aliam quamvis partem iidem Brixianis dono dederint, facile intelligimus ex Chronicis Caſinenſi, & Vulturnenſi. In primo ita legitur: *Hic* (loquitur de Petronace Caſini Abbate) *Eccleſiam Beati Martini, quam parvulam reperit, ſedecim fere cubitos auxit; ibidemque abſidam efficiens in honore Beatæ Mariæ ſemper Virginis, & Sanctorum Martyrum Fauſtini & Jovitæ in ea altarium ſtatuit, in quo etiam* Brachium *unius illorum, quod ſecum de Brixia aſportaverat, decenter recondidit*. In ſecundo vero hæc habentur: *Hoc tempore idem Petronax Beati Fauſtini Martyris* Brachium *illuc ſecum attulerat.*

Venio nunc ad Mabillonii Achillem alterum, nimirum ad Joannis VIII. Bullam. Aſſerit ipſe in ea, manifeſtiſſimam Tranſlationis eniteſcere veritatem; Caſinenſes autem facile oſtendunt Bullæ hujus authoritatem æque nutare, ac Pauli Diaconi teſtimonium, Achille ipſo fortius habitum a Mabillonio. Pontifex in ea Bulla hæc habet: *Johannes Epiſcopus &c. Igitur, cum propter multiplices Eccleſiæ Dei curas Gallicanam adeuntes regionem, Trecas civitatem deveniſſemus, Anno Incarnationis Dominicæ* DCCCLXXVIII. *& ad reſecanda quælibet*

libet inutilia, vel ſtatuenda Eccleſiaſtica jura Synodum Generale plurimorum celebraremus Epiſcoporum, inter alia ſugeſſit authoritati noſtræ venerabilis partium veſtrarum Abbas nomine Teotbertus ex Cœnobio, quod vocatur Floriacus in pago Aurelianenſi, quod idem Monaſterium quondam religioſus Abbas Leodebodus nomine Monachis exſtruxerat in honore Dei, & ſanctæ Genetricis Mariæ, nec non Beati Principis Apoſtolorum Petri, quod revelatione divina per Monachos ejuſdem loci a Beneventana Provincia Corpus illuc S. Benedicti pervenerit, olim allatum ibique reverenter humatum, ſicut manifeſtiſſima conſtat veritate: & quod propter ſtabilimentum Monaſticæ Religionis, piæ memoriæ Imper. Carolus, per præceptum ſuæ authoritatis, eidem loco res denominatas delegavit. Nunc vero tam ſe ipſum, quam unanimem Congregationem ſibi commiſſam humiliter poſtulare &c. Quo circa &c.
Juſte mirantur Caſinenſes, Bullæ hujus monumento veluti claſſicum ceciniſſe Mabillonium, dum ſatis aperte conſtat, Translationis factum in ea enunciari dumtaxat ex Floriacenſium expoſitione; deinde idem factum nullo modo cauſam fuiſſe privilegium, cujuſmodi in ea Bulla continetur, concedendi; imo nec pro cauſa adductum fuiſſe factum illud a ſupplicantibus, ſed tantum pro reprimenda quorumlibet cupiditate; ac tandem inſuper conſtat, Bullam illam non fuiſſe actionem Conciliarem, ſed latam ſolummodo occaſione Concilii, ita ut ſatis veroſimile ſit, Italos Epiſcopos, qui ad Concilium illud convenerant, nihil prorſus de eadem

reſciviſſe . Multo etiam juſtius mirantur iidem Caſinenſes, Bullam Joannis tanti feciſſe Mabillonium, etſi ipſe a tot Pontificiis Bullis in eorum Cœnobii Archivo authentice ſervatis nullum eorundem opinioni accedere pondus contendat, ne excepta quidem Bulla Zachariæ Papæ, qui intemerata Caſini reperta S. S. Benedicti, & Scholaſticæ Corpora ſe vidiſſe affirmat, nec etiam Bulla Alexandri II. qua Pontifex de iiſdem Corporibus refert non quod ſibi Caſinenſes expoſuiſſent, ſed quod ejus Legati propriis ipſimet oculis inſpexiſſent, id ipſum nimirum quod affirmat Zacharias.

Admirationes iſtæ Caſinenſium, validorum argumentorum inſtar, ſatis ſuperque infringunt Bullæ Joannis VIII. authoritatem, quin iidem aliis auxiliis, ſeu defenſoribus indigeant; attamen hic quoque, ſicuti ſuperius feci, ſymbolam meam adjiciens, curabo novis argumentis eandem authoritatem debilitare. Huic rei opportunum mihi auxilium ſuppeditat controverſia, quæ de Corpore S. Dionyſii translato e San-Dionyſiano Lutetiæ Cœnobio in Sant-Emmeramenſe Ratisbonæ ſummopere inter utroſque Monachos fervet. Afferunt Ratisbonenſes pro cauſa ſua tuenda Bullam Leonis IX. cujus certe ſcopus fuit cognitio ejuſdem cauſæ ab ipſo Pontifice ſuſceptæ, & quidem iis verbis expreſſa, quæ manifeſtam fidem faciunt, dijudicatam eam cauſam ab eodem fuiſſe, recte expenſis omnigenis momentis, non autem ex præſtita tantum Monachorum expoſitioni fide. Ait enim Pontifex, ſe cum Ratisbonam ad Corpus bea-

ti

ti Wolfangi, ejuſdem Urbis Epiſcopi, transferendum adveniſſet, poſtulaſſe ab ipſo Regis Francorum Legatos, qui eo pariter convenerant, *Quatenus* (hæc Leonis ſunt verba) *litem, quæ inter Vos & Urbem prædictam ſuper ſacroſanctis Oſſibus Beatiſſimi Dionyſii Areopagitæ fuerat diutiſſime ventilata, veritate diſcuſſa dirimere curaremus: Vobis quidem eadem apud Vos eſſe dicentibus; Civibus autem incolis Urbis præfatæ aſtruentibus e converſo, ea per invictiſſimum Arnulphum quondam Imperatorem ad EccleſiamBeati MartyrisEmmerami eſſe translata, ibidemque deinceps contineri*. Moxque teſtatur, ſe igitur eam cauſam diſcuſſiſſe in frequenti Præſulum cœtu, viſis Arnulphi Imperatoris ſcriptis, ſolertique examine ſcrutando capſas, thecas, ſcrinia, titulos, inſcriptiones, picturas, ſculpturas, literas tam Imperiales, quam Papales ſuorum Deceſſorum, ac tandem oſſa venerabilia S. Dionyſii. Addit, nec divina defuiſſe prodigia, quæ dubium omne abegerunt; ac tandem præcipit Translationis illius ſolemnitatem ſingulis annis celebrari in omnibus Ratisbonenſis urbis Eccleſiis. Quis crederet, Mabillonium Diploma iſtud Leonis IX., quo nihil ſignificantius ad teſtandam curam a Pontifice impenſam pro cauſæ momentis diligentiſſime expendendis, nihili feciſſe? eundemque Mabillonium difficultatem omnem evinci affirmaſſe ex uno teſtimonio Haimonis Monachi narrantis, poſt Leonis IX. literas illas a Rege Galliæ acceptas, jubente eodem Rege,
re-

reſeratum fuiſſe S. Dionyſii loculum, reliquiaſque hujus integras ibidem inventas, nullamque violati tumuli ſpeciem apparuiſſe? Quis, inquam, hæc crederet, præſertim poſtquam faſſus eſt Mabillonius, Diploma Leonis non quidem a Monachis Sant-Emmeramenſibus confictum, ſed revera tranſmiſſum fuiſſe ad Henricum Francorum Regem? Quærit autem a Mabillonio Præſul Sant-Emmeramenſis in libro de Translatione Corporis S. Dionyſii Areopagitæ, quem laudavi in ſuperioribus literis, quiſnam ſit Haimo iſte, cur hujus libellum, unde erutum eſt teſtimonium, inter ineditos reliquerit, cur non ſignum aliquod, vel literas attulerit, unde manifeſtationis illius veritas clareſceret, denique cur Bullam Leonis IX., quemadmodum cauſa poſcebat, ſerio examine non perpenderit.

Quo vero juſtius quærit hæc omnia a Mabillonio Præſul ille doctiſſimus, modeſte ſubdens, ſe non percipere, qua ille ſit uſus *ratione agendi & ſcribendi de ea Translatione*, eo magis triumphat Caſinenſium meorum cauſa, quippe quæ impetitur unica expoſitione Floriacenſium, non autem Joannis Pontificis de eadem examine, cujuſmodi Leo IX. ipſemet ſe ſuſcepiſſe affirmat; & præterea nullo modo adverſus nos militant quæſtiones illæ, ceu tot ſpicula, contortæ ab Sant-Emmeramenſibus adverſus Mabillonium, namque Chroniſtæ Lenenſis libellus typis ex Codice venerandæ Antiquitatis vulgatus comparet, nec ego diſſimulavi quæ Joannes VIII. in ſuo Diplomate ſcribit, demumque plura miracu-

la

la, & Pontificia Diplomata indicavi, quæ præſentiam Corporum S.S. Benedicti, atque Scholaſticæ in Caſinenſi Cœnobio luculenter teſtantur. Neque vero quis dixerit, Corpora illa, quæ Caſini ſervantur, ei ipſi ſuſpicioni ſubeſſe poſſe, quam Pariſienſes regerunt adverſus Ratisbonenſes, nimirum Monachos Sancti Emmerami *invenientes Corpus neſcio cujus hominis, dixiſſe eſſe Corpus Areopagitæ*, quandoquidem ſi id quoque de ſacris Pignoribus, quæ Caſini ſervantur, Floriacenſes ſuſpicarentur, hoc ipſo fidem omnem Adrevaldi, ſeu Adalberti Hiſtoriæ de Translatione eorundem Pignorum everterent; etenim Hiſtoriæ illius magna pars eſt ſolemnis Monachorum Caſinenſium, quorum Dux Carlomanus, Pippini Regis Galliarum frater, legatio ad Pignora illa ex Floriacenſium manibus repetenda. Literas Zachariæ PP. recitat idem Hiſtoricus, quibus inſtructi Monachi illi Lutetiam contenderint, narrat quam benevole a Rege Pippino excepti fuerint, quos conatus ad rem perficiendam ejuſdem Regis authoritate adhibuerint, quæ tandem miracula obſtiterint, ne votorum ſuorum compotes evaderent. Narrationes has omnes pro fabulis habeat oportet, quicunque ſuſpicioni illi locum eſſe cenſeret. Quo enim pacto, ſi veræ forent narrationes illæ, accidere potuiſſet, Caſinenſes ſolemnem illam Legationem ſuſcepiſſe iis ipſis temporibus, quibus Corpus, quod S. Benedicti nomine donaſſent, quiete poſſiderent? Stulte enim quis extra domum anxie perquirat quod domi ſe retinere certo arbitra-

tra-

rtatur. Pugnat igitur luce meridiana clarius poſſeſſio illa pacifica cum ea Legatione, cum acerbiſſima mœſtitia, qua Caſinenſes premerentur raptum eorum Patrem plorantes. Præterea, quoniam ex regula juris *melior eſt conditio poſſidentis*, hujuſmodi ſuppoſitionis accuſatio potiori omnino jure a Caſinenſibus in Flociacenſes regeri poteſt, hoſce ſcilicet inventum Corpus aliquod (& fortaſſe cujuſpiam S. Benedicti nomine inſignitum) pro Corpore S. Benedicti Monachoium Patriatchæ habuiſſe, indeque Translationis fabulam inregram prodiiſſe. Demum, quod affert Mabillonius ad tuendam Monachorum San-Dionyſianorum poſſeſſionem Chronographi Magdeburgenſis teſtimonium, quo conſtat, Carolum Simplicem Gallorum Regem Henrico Germaniæ Regi dono tranſmiſiſſe *manum pretioſi Martyris Dionyſii auro, & gemmis incluſam* an. 925. ideſt vigeſimo ſexto a morte Arnulphi Imperatoris, indeque ſubdit idem Mabillonius, *Non ergo tunc S. Dionyſii Corpus e Galliis ſublatum fuerat*; hoc ipſum, inquam, teſtimonium Magdeburgenſe, concluſio iſta Mabillonii, cauſæ Caſinenſium ſuffragantur; faciunt enim, quod juſtius affirment illi, *Non ergo tunc* (tempore nimirum Deſiderii Regis) *Corpus S. Benedicti ſublatum fuerat e monte Caſini*, præſertim quod teſtimonii Lenenſis, ſincera quadam ſimplicitate, non arte ulla, aut fuco, ſed e re nata prolati, authoritatem confirment Brachium S. Benedicti, quod Brixia oſtendit, & S.S. Vitalis, & Martialis exuviæ, quæ in Lenenſis Abbatiæ Eccleſia reconduntur. Itaque liceat mihi hic quoque de

de Mabillonio vaticinari,eundem,ſi in vivis degeret, id ipſum præſtitutum,quod Paulum Diaconum præſtitiſſe vidimus, obliteraturum ſcilicet per verba, *ſed certum eſt Brixiam S.Benedicti* BRACHIUM *poſſidere,* quotquot de fabuloſa Translatione conſcripſerat.

Permirum (ut hoc etiam addam) valde mihi accidit, eundem Mabillonium libro, quo Italicum ſuum Iter deſcribit, exacte quidem narraſſe quæcumque, dum Caſini ageret, conſpicienda ſibi Monachi illi præbuiſſent, antiquos præſertim Codices, atque Archivi authentica, ut ipſe quoque fatetur, inſtrumenta, ac plura de hiſce adnotaſſe, at nullum prorſus verbum feciſſe de Pontificiis Bullis, quas authentice exaratas ejus oculis ſubjcere, Monachi iidem minime neglexerunt. Ne vero ea prætermiſſio Mabillonii erga hoſpites ſuos humanitati unice tribuatur, obſtat deſcriptio Itineris Germanici ab eo pariter adornata, ibi enim mentionem faciens de Monaſterio S.Emmerami, ad quod divertit, haud omiſit immiſcere, quæ in Act. Sanctor. Ord. S. Bened. contra Translationem S. Dionyſii produxerat, de ſilentio nimirum Arnaldi Monachi Sant-Emmeramenſis. Quod autem idem Mabillonius Annal. Tom. I. refert, ſibi, dum Romæ verſaretur, narraſſe Angelum de Nuce, *Inventum quidem abs ſe Tumulum, inventa oſſa ſub Altari, ſed abſque ulla inſcriptione, abſque ullo denique indicio, quo ea eſſe S. Benedicti Oſſa teſtatum fieret, niſi quod Tumulus eo in loco poſitus eſſet, ubi Smi Benedicti Patris Corpus ſepultum fuiſſe Majorum traditio ferebat;* id, inquam

quam, niſi ex memoriæ lapſu referri a Mabillonio potuiſſe, reponam ego cum clariſſimo Præſule, Caſinenſium noſtrorum Apologiſta, repugnat ſiquidem ea narratio cum rei veritate pluribus locis ab Angelo de Nuce teſtata. Bollandianos quoque, dum Tom. III. Mart. ſcribunt, faſſum ſibi Nuceum Corpora S.S. Benedicti, & Scholaſticæ a ſe quidem viſa, ſed non ita integra, quin alibi pars quoque eſſe poſſit, eodem memoriæ vitio laboraſſe affirmat idem doctiſſimus Præſul, minime tamen negans, quaſdam S.S. Fratrum Reliquias ex ejus ſepulcro extractas fuiſſe, binaſque nominat, unam S. Benedicti, alteram S. Scholaſticæ in Sacrario Caſinenſi ſervatas. Hiſce multo inſignius adjungendum modo Brachium S. Benedicti, quod quidem deeſſe inter innumera, quæ ſupererant, oſſa, copioſoſque cineres, ne ipſi quidem peritiſſimi Anatomes cognoſcere valuiſſent. Iidem Bollandiani veritati, quam Mabillonius celavit, teſtimonium perhibuerunt, aperte ſcribentes: *Deducti ad Archivium vidimus in eo Monumenta omnia, ipſaque originalia Inſtrumenta per ſuas quæque capſas concinne commodeque digeſta, atque inter cætera Bullas Summorum Pontificum, quæ a Laureto inde erutæ extant typis vulgatæ, quibus dicta Corpora S.S. Benedicti, & Scholaſticæ ibidem adſervari probatur.* Concludo igitur ex comparatione hactenus a me facta inter bina Diplomata Joannis VIII. & Leonis IX. Pontificum, quæ Sant-Emmeramenſium cauſæ maxime favent, ſuſceptum ſcilicet a Leone Pontifice

tifice examen, tranſmiſſumque ab ipſomet Diploma illud ad Gallos, minime aptari poſſe Joannis VIII. allato a Floriacenſibus Diplomati; deinde quæ adverſus Haimonis teſtimonium, quo ſummopere fidit Mabillonius pro tuenda poſſeſſione San-Dionyſianorum, allegantur a Præſule Sant-Emmeramenſi, nequaquam militare adverſus perhibitum a Chroniſta Lenenſi; præterea ſuſpicionem excitatam de Corpore S. Dionyſii a Sant-Emmeramenſibus ſuppoſito, nullo modo promoveri poſſe a Mabillonio adverſus Caſinenſes, quin ipſemet fateatur, fabulas tantum narraſſe Floriacenſem Hiſtoricum Adrevaldum, ſeu Adalbertum; demum ſi perennem poſſeſſionem San-Dionyſianorum Mabillonius deduxit ex manu S. Dionyſii a Carolo Simplici Gallorum Rege Henrico Germaniæ Regi dono tranſmiſſa, multo potiori jure pro Caſinenſium poſſeſſione deduci a me poſſe ex Brachio S. Benedicti, quod Caſinenſes Lenenſi Abbatiæ elargiti ſunt. Itaque gloriæ ſibi Gallia utique ducat, Carolum Magnum res Langobardorum, horumque Regnum evertiſſe, eaque ratione ultum quodammodo fuiſſe cladem ac vaſtitatem ab iiſdem illatam Caſinenſi Cœnobio; non inde tamen regio illa glorietur de uſurpatis Sanctorum Benedicti, & Scholaſticæ exuviis, eaſque, quas intactas reliquerat populorum eorundem feritas, ad Floriacenſe Monaſterium, Caſinenſi tumulo expilato, translatas fuiſſe.

Tandem, antequam literas iſtas concludam, pro paterna, qua proſequor San-Maurinos Monachos

benevolentia, quamque publice teſtatus ſum pluribus Epiſtolis meis prœlo expreſſis, teſtarique ſemper conabor viribus omnibus, pro ut occaſio feret, eoſdem amantiſſime exoro, ne in malam partem accipiant, quod fervide adeo Caſinenſium cauſam propugnaverim, ut hiſce pretioſiſſimum theſaurum ſartum tectum ſervarem. Sinant pariter iidem Galli, Leonis IX. verba de ſubrepto ex Arnulphi Imperatoris ſeu *dolo*, ſeu *furto*, ſeu *ſacrilegio* Corpore S. Dionyſii, hæc nimirum: *Nec vobis totus ablatus eſt Dionyſius, quippe qui cariſſimos prædicationis ſuæ, & paſſionis conſortes Ruſticum, & Eleutherium in dilectionis adhuc, & tutelæ pignus, & certitudinem dereliquit;* verba, inquam, iſta ad ipſoſmet ſinant in hunc modum a me converti: „Reliquit vobis Benedictus in dilectionis, & tutelæ pignus cariſſimum filium ſuum, & præcipuum „diſcipulum S. Maurum, hunc imo conceſſit ipſemet precibus Innocentii Cenomanici Epiſcopi „una cum quatuor aliis diſcipulis ſuis Conſtantiniano, Antonio, Simplicio, & Fauſto, quibus ducem, „& ſigniferum in profectionis Gallias eundem Maurum deſignavit. A beato Mauro Gallia fere omnis „Monaſticæ inſtitutionis ſuſcepit exordium. Hic Galliam miraculis illuſtravit. Hujus ſacrum Corpus „poſſidet Gallia. His omnibus ultro aſſentiuntur Caſinenſes, imo fatentur a vobis ipſis ſe inſignem Reliquiam S. illius Confeſſoris dono impetraſſe. Pie „ergo hiſce omnibus contenti (Leonis IX. verba reſumo),, non fallentes voſmetipſos & alios Beatiſſimi

Be-

„*Benedicti* Oſſa in *Caſinenſi* Eccleſia & noſcatis, &
„fateamini coruſcare.

Quoniam vero in doctiſſima Apologia, quam pro tuenda Miſſione S. Mauri Benedictinæ Regulæ in Galliis Apoſtoli conſcripſit Gallico primum idiomate Theodoricus Ruinartus, quamque Latine redditam in Append. primi Tomi Annal.Bened. retulit Mabillonius; quoniam, inquam, profitetur ibi Ruinartus, partem alteram ejuſdem Apologiæ exorſus, argumenta a ſe prolata ad ſtabiliendam beati Mauri in Gallias Miſſionis traditionem hujuſcemodi eſſe ponderis, *Ut pauca reperias antiquitatis facta peculiaria, quæ hiſtorice tam certo & evidenter demonſtrata ſint*; id quoque Monachis Gallis ultro concedo, dummodo ab iiſdem pari cum gratia impetrem, inter ea facta peculiaria primum locum obtinere Apologiam perennis poſſeſſionis, cui ſtabiliendæ haſce, & priores literas exaravi. Tomo illo Annalium ſuorum poſt Appendicem, in qua agitur de Miſſione S. Mauri in Gallias, ſubjunxit Mabillonius Appendicem alteram, varia Monumenta, & Diplomata complectentem, ac primo loco ibidem recitatur Homilia Pauli Diaconi de S. Patre Benedicto ad oſtendendum Regulam S. Benedicti per totum Occidentem propagatam fuiſſe ante Sæculum octavum, indeque confirmari, eandem per S. Maurum ad Galliæ fines pervaſiſſe; id ego pariter Gallis ultro concedo, at non video qua ratione plenam & ii fidem non præſtent eidem Paulo in ea Homilia Caſinenſes Monachos ita alloquenti: *Teſtatur hoc*

de

de quo loquimur recens illud miraculum, quod ante hoc fere decennium geſtum, multiſque veſtrum eſt cognitum, mutum ſcilicet ante ejus CORPUS *ſacratiſſimum fuiſſe locutum; mox ut Benedicti opem totis votis expetiit, linguæ conſecutus eſt officium; & qui nullum ex die ortus ſui verbum edere poterat, quod eſt admirandum vehementius, non ſolum loquelam propriam, hoc eſt barbaram, cæpit effari, ſed ſimul etiam & latinam. Plura ſunt & relatu digna, quæ per eum quotidie Chriſtus efficit, quæ propria, Deo præſule, ſerie veſtræ pandenda ſunt caritati.* Deſinant itaque iidem Galli Paulum Diaconum ſeu Achillem Caſinenſibus objectare, ac fateantur teſtimonium ex ejuſdem Hiſtoria depromptum non aliam pati interpretationem, quam ſuperius allatam.

Triumphet igitur Caſinenſium cauſa, præſertim poſtquam vires accepit ex BRACHIO, quod Brixia oſtentat; eamque magis magiſque triumphaturam non dubito, ſiquidem eidem tutandæ Weſſofontani Cœnobitæ, BRACHII illius particula jam donati, eruditione ſua auxiliatrices, quoties opus foret, porrigant manus, duce Te, BEDA Rme, ad quem jamdiu confugiſſe novi Benedictinas Friſingenſis primum Licei, deinde Salisburgenſis Univerſitatis Muſas, ſui augmentum, & ornamentum a Te requirentes, harumque exemplo Alma, & Exemta Congregatio Benedictino-Bavarica ſui Te ſupremum Præſidem ter elegit, meminique, dum iſthuc acceſſi an. 1748. narratum mihi fuiſſe inaudito prorſus exemplo tres illas Præfe-

ct若uras

cturas in Te, uno eodemque tempore, coaluiſſe. Vale.

Brixiæ die IV. *Februarii an.* MDCCLIV.

Poſtquam iſta ſcripſiſſem perlatæ ſunt ad manus meas literæ tuæ ante binas hebdomades datæ, quibus certiorem me feciſti accepiſſe Te jam authenticum teſtimonium de veritate Particulæ, ſeu Reliquiæ Sanctæ Scholaſticæ, ac lætiſſimum nuncium de argentea Statua ejuſdem Beatæ Matris die 24. Decembris Brixia Bolzanum, indeque Monachium tranſmiſſa ad veſtros Weſſonis fontes deducenda; ac demum domi veſtræ parata eſſe omnia ad donum illud pari ritu, & ſolemnitate excipiendum, quibus Statuam SS. P. BENEDICTI anno proxime præterito excepiſtis. Quod autem ſubdis, Sacrificium Te in Pontificalibus immolaturum, ac Omnipotenti Deo preces a ſingulis Sacerdotibus, eorumque Poſteris veſtris pro perenni mea incolumitate fundendas, enixiſſime peto, ut precibus iiſdem id in primis mihi a S. BENEDICTO impetretis, ut æternæ meæ ſalutis ipſemet interceſſor eſſe dignetur. Fateor quidem indigniſſimum me fuiſſe tanto Parente filium, ac propterea, ut primo Epiſcopales Inſulas depoſito Cucullo Monaſtico recepi, ſubjit me cogitatio conſtruendæ cellæ in Sublacenſi Sacri Specus Monaſterio, quam Monachus, me certo dignior futurus, inhabitaret, meiſque iſte ſumptibus aleretur, eaque de cauſa annuam penſionem eidem Cœnobio a viginti quinque jam annis

nis contribui, & modo etiam contribuere pergo. Itaque enixis precibus S. Benedictum exoretis, ut ad Monachi illius, quem egreſſus e Clauſtro in mei locum ſubſtitui, bona opera reſpiciens, divinam mihi miſericordiam propitietur, qua maxime indigeo, quod potius quam priſca Monachi peccata eluere, iiſdem peccata Epiſcopi, & Cardinalis adjunxerim, quotquot enim de Templis, de Cœnobiis, de Seminario, de Bibliotheca publicis Hiſtoriæ veſtræ Weſſofontanæ nuperrime evulgatæ tabulis conſignaſtis, Euchariſticon mihi texentes, ſummam utique veſtram erga me benevolentiam demonſtrant, at per ea omnia non veras Chriſtianas virtutes, ſed harum ſpeciem dumtaxat & umbram deſignari, mea teſte conſcientia, profiteor; idque ipſum publice haud ſemel profeſſus ſum, dum ſcripſi, *Video Templa, video Sanctimonialium Clauſura, video Pauperum Tuguria, Bibliothecam video, Epiſcopum autem non video.* Iterum vale.

A01 146 7782

Digitized by Google